



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 23. Dissidia inter Cracoviensem Archiepiscopum in Polonia, &
Gnesnensem Præsulem

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

Sæcul. XV.
A.C. 1449.

§. XXIII.

Diffidia inter Cracoviensem Archiepiscopum in Polonia, & Gnesnensem Episcopum.

Crom. lib. 22. **H**oc anno in Polonia sub novo Rege Casimiro magna exorta est de prærogativa loci controversia inter Sbigneum Cardinalem, Cracoviensem Episcopum, & Ladislaum Gnesnensem Episcopum Regni Primatem; quippe cum Ladislaus, ne principem locum alteri cedere cogetur, a comitiis discessisset, Regni Proceres Sbigneum quoque Senatu excedere rogarunt, ne forte regiminis quies turbaretur. Equidem utroque absente liberius tranquillitati Regni prospectum erat; cum autem iidem Proceres a Rege solemne peterent jusjurandum, vi cuius sponderet, quod rite, & secundum patrias leges Regnum administraturus esset, & Regum Prædecessorum suorum acta, Constitutiones, edicta & beneficia quævis publice, & privatim concessa, rata haberet, cum autem ille, nequid Lithuanis, quos velut subditos suos protegebat, detraheret, Procerum petitis annuere omnino recusaret, convenit inter Poloniæ Optimates, ne pro legitimo Rege haberetur, nisi fidem suam hujus sacramenti religione obstringeret.

§. XXIV.